

VII. Eundem in finem Principes noſtri Albertus & Iſabella in Ediſto ad Synodum Mechlin. art. 16. declarant, ſuam eſſe mentem, ut ſi Ordinarii eſſent defectuoſi in aſſignanda congrua portione Paſtoribus, eo caſu Paſtores poſſint recurrere ad Concilium Regium ſuæ reſpectivè diœceſis, ut ſuper eorum querelis provideretur; præſertim per interventionem officii Ficalis ſi necesse ſit. Et quidem ob hanc *proviſionalem* adjudicationem, quæ à Regio ſenatu in hac materia ſolet annui, cauſa congruæ portionis ſeu competentis hodie coram Regio Tribunali paſſim ventilatur, uti infra latiùs dicetur.

VIII. Eadem ratione ſi inter ipſos Decimatores non conveniat, quis ſit Paſtor primitivus, aut quis ante alios ad portionem congruam teneatur, omnes ad portionem congruam dandam interpellari poterunt; omneſque per proviſionem reſpectivè pro ea parte qua decimis gaudent, ad congruam portionem condemnari; ſalva ipſis ulteriori inquisitione, quis eorum aſſignationi congruæ portionis ſpecialiori titulo ſit obſtrictus: ne aliàs ob diuturniorem illam Decimatorum inter ſe diſceptationem, Parocho ſua interim deſit ſuſtentatio, atque ejus defectu cura animarum minus laudabiliter exerceatur. Ita judicatum reſert Charondas L. 1. *Reſp. cap. 60.* & noviſſimè in Senatu Brabantie pro incolis Parochiæ Gellenſis contra Episcopum Antverpienſem, Abbatiffam & Conventum de Roofendaël, Capitulum S. Dymphæ in dicta Parochia Gellenſi, & Paſtorem Gellenſem Decimatores.

Cum enim inter hos haud coveniret, quis ad congruam portionem dandam Presbyteris ad curam animarum in dicta Parochia neceſſariis teneretur, concluderunt dicti incolæ, ut hac controverſia & diſquisitione ipſis decimatoribus ſalvâ, ſaltem per proviſionem ad congruam portionem condemnarentur; quam conclusionem probans Senatus Brabantie, declaravit, ad minus duos Presbyteros eſſe Parocho adjungendos, qui cum ipſo functionibus Paſtoralibus intendere; quorum uni Parochus ipſe ex ſuis Paſtoralibus congruam ſuſtentationem dare teneretur, alteri verò congrua portio centum paraconum annuè daretur à tribus aliis decimatoribus; ſalvâ ipſis inter ſe diſquisitione vel conventionem, quo ordine, aut pro qua parte ipſi ad hanc portionem concurrere debeant.

Idiſum aſſeritur in citato Ediſto Regio de an. 1686.

IX. Exemplo quoque alimenterum in annos ſingulos teſtamento relictorum dicitur ſuper portione congrua tranſigi non poſſe; ſive eam per tranſactionem tolli non poſſe; uti poſt alios notat Rebuffus De portione congrua num. 91. dicens: "Etiam per tranſactionem hæc congrua non tollitur portio, quæ cum ſit alimenterum loco, & modico contentus Vicarius tranſigere poſſet, ideo non tollitur per tranſactionem, ſicut nec alimenta. L. cum hi ſſ. de tranſactione."

X. Verum ſi tranſactio bona fide, ſine dolo aut fraude inita ſit, haud facile ſanè, à ſimili tranſactione, prætextu non ſufficientis alimenterum, ipſe Vicarius qui ipſe tranſegit, recedere poteſt; neque facile petens augmentum portionis recipiendus eſſet.

XI. Si tamen mutatis circumſtantis, portio congrua pro qua conventum erat, facta eſſet planè inſufficiens, vel etiam noxoriè appareret, illum Vicarium nunc ex illa vivere non poſſe, non obſtante illa tranſactione portio congrua ſive ſufficiens danda eſſet; uti monet Rebuffus n. 93.

XII. Si tranſactio inita ſit inter Decimatores & Vicarium ſine auctoritate Superiorum, hæc cum nullatenus ad ipſos ſucceſſores Vicarii tranſeat, quos ipſe Vicarius privata ſua auctoritate obligare non potuit, etiam non impedit, quo minus hi augmentum portionis petere queant.

XIII. Tranſactio autem inita & confirmata auctoritate & conſenſu Superioris, puta Episcopii, firmior eſt; & non tantum hunc præſentem Vicarium tranſigentem; ſed & ſucceſſores ipſius obligare ſolet. Unde & hi tranſactioni ſtare debent; & uti tranſactio ſuper futuris alimentis valet auctore Prætorè L. 8. *Cod. de Tranſact.* ita hæc tenebit, tamen ſi ſuper alimentis inita cenſeatur.

XIV. Si tamen portio congrua per tranſactionem conſtituta ſucceſſu temporis fiat inſufficiens, indubiè non obſtante hac tranſactione augeri poterit, & debebit.

XV. Nulla quippe tranſactione aut conventionem, vel poſitiva ordinatione, vel etiam longiſſimi temporis lapſu induci poteſt, ut negetur portio congrua ſeu ſufficiens Parocho ut cura animarum laudabiliter exerceatur: cum non humana, ſed divina & naturali lege ſancitum ſit, ut os bovi trituranti non alligetur.

Quare Rebuffus loco citato num. 90. quærens, "an portio congrua tolli queat?" reſpondet, Non: quia non debet ligari os bovis triturantis; & qui ſpiritualia ſeminant, dignum eſt, ut metant temporalia.

XVI. Sicuti per tranſactionem tolli nequit portio congrua, eò quod cedat in locum alimenterum neceſſariæ; ita quoque nec compensatione retardari poteſt, uti notat Rebuffus ibidem num. 94. additque: "ideo non fuere auditi Decanus & Canonici S. Marcelli volentes compenſare expenſas in parlamento factas in congrua portione, nec potuerunt uti aliqua retentione pro illis contra Vicarium de Genevilliers; & ita pronuntiavit Senatus anno 1524. die 27. Februarii."

XVII. Ad exemplum inſuper alimenterum, & ut Parocho & miniſtris Altaris certius & ſecuriùs de honeſta ſuſtentatione provideretur, viſum fuit, ut ſi fieri poſſet, in *re certa* portio congrua aſſignaretur; quemadmodum ſignificat Synodus Tridentina ſeſſ. 7. cap. 7. *De Reform.* in verbis; *Portione etiam in RE CERTA aſſignanda.*

XVIII. Hinc videmus, quod Synodi aut etiam Principum Ediſta, cum de portione congrua Parochorum aut Vicariorum aſſignanda vel determinanda agunt, nullibi aliquam decimarum partem aſſignent, ſed certam & determinatam pecuniæ ſummam annuè pendendam.

XIX. Neque Parochi aut Vicarii aliquam Decimarum partem poſſidentes, dicuntur habere portionem congruam. Ut vel hinc appareat, portionem congruam propriè conſiſtere in *re certa*; atque cum qui obligatur ad dandam portionem congruam, eam debere in *re certa* aſſignare; ſi Vicarius aut Parochus congruam portionem petat.

XX. Quare Vicarius ſeu Parochus poſſidens aliquam decimarum partem; adeo ut etiam ex illa poſſeſſione præſumatur aliqua decimarum partitio antiquitus fuiſſe facta inter Vicarium & Paſtorem primitivum, tamen Decimas Paſtori primitivo integras remittens, ad petendam congruam portionem admittitur, inquit Carolus Fevret, lib. 6. *de abuſu cap. 1. § 12.*

Similiter ultimum Ediſtum Regis Gallie de anno 1686, quo per totum Regnum portio congrua taxata eſt ad 300. libras Gallicas ultra caſuale & decimas noxiales, dat optionem Vicariis perpetuis, renuntiandi decimis aliis que proventibus Eccleſiaſticis, & acceptandi hanc portionem congruam.

XXI. Neque dubium apparet, quin Parochis ordinariè magis expediat portionem congruam in *re certa*, puta certa quantitate granorum, aut certa pecuniæ ſummam annuè ſolvenda, habere, quam aliquam portionem decimarum.

Quis

Quis enim neſcit, quas curas ſecum trahat decimarum collectio, ſi eas Parochus ſeu Vicarius per ſe ſive familiarum ſuam faciat? Quæ ſanè non modicum in functionibus paſtoralibus impedimentum generant.

Si verè eas alius elocet, quanta ex ea elocatione nata non ſunt orti difficultates & nonnumquam contentiones cum ſubditis, dum ab his ſolutio exigenda eſt? Quæ murmuraciones & obloquia ſad verſus Parochum hinc non naſcitur timentur? Dum facile ſibi perſuadent, in earum elocatione nimium à Parocho exigi, aut unum alteri ex quadam humana conſideratione præferri; atque hinc affectus erga Parochum diminuitur, & charitas ſtingit.

XXII. Cum ergò tantopere olim Sancti Patres deſideraverint, ut Episcopii & Miniſtri Eccleſiæ ab omni reum temporalium cura poſſent eſſe liberi, ut liberius miniſterio verbi & orationi inſtare poſſent; quemadmodum videre eſt apud Chryſoſtomum *homilia 37. in Mattheum*; quidni merito Parochi cæterique curam animarum gerentes, à decimarum cura & ſollitudine liberi eligent, certa eis portione annua in ſuſtentationem aſſignata, quo liberiùs, & ſine rerum corporalium curis & diſtractionibus toti poſſint miniſterio verbi & orationi adinſtar Apoſtolorum inſtantes eſſe.

XXIII. Et quidem portio contra *in re certa* aſſignata adeo firma & ſtabilis cenſetur, ut nec ob ſterilitatem fructuum decimabilium, aut devaſtationem aliamve tempeſtatem minuenda veniat; uti tamquam indubitatum tradit Tournetius in ſua Collectione Arreſtorum *Lib. P. n. 116.* inſuper addens, quod nec audiendus ſit conductor decimarum, qui ſub onere ſolvendi portionem congruam conduxerit, ſi ſolutionem prætextu ſterilitatis aut devaſtationis fructuum negare velit. Verba ejus ſunt *Puis qu'en France, comme pluſieurs autres Rojaumes & Seigneuries on a permis & accordé qu' autres que des Curez s'attribuent les dixmes des Parroisses en leur baillant quelque portion d'icelles pour leur nourriture & entretènement, il est raisonnable que ladite portion leur soit payée sans aucune diminution, ny moderation pour quelque calamité de troubles, ny a' autres deſaſtres & adverſitez que doivent porter ceux qui jouyſſent des dixmes. Et ne ſera recen le fermier ayant pris les dixmes à ferme, à la charge de payer certaine quantité de grains au Curé pour son gros, de luy en faire diminution pour telles occasions: uns se doit pour voir à l'encontre de ceux, lesquels s'attribuans le droit des dixmes, luy en ont fait bail. Car la portion du Curé est comme une dette à luy due, ou dot eſtimée pour la charge qu'il aide l'Eglise & ſervice qu'il fait à l'Autel. Ainſi a eſté jugé par Arreſt de la Cour pour un Curé, contre le fermier des dixmes, auquel son recours a eſté reſervé contre les Religieux Gros dixmeurs, du 15. Decembre 1570.* Id eſt. Quandoquidem in Gallia prout & pluribus aliis Regnis & ditionibus, permittatur & annuat ut, alii præter Parochos decimas Parochorum poſſideant, aliquam earum partem deputando alimenterum & ſuſtentationi Paſtorum, æquum eſt ut dicta portio ipſis perſolvatur abſque ulla imminutione aut moderatione ratione calamitatum, turbationum, aliorumque infortuniorum & adverſitatum quas iis, qui decimas gaudent damno eſſe oportet. Nec admittendum ut conductor qui decimas redemit ſub onere perſolvendi Parocho quantitatem pro portione conſtitutam, occasione talium fortuitorum aliquid ipſi detrahat: verum ſibi caveat periculo eorum, qui ſibi jus decimarum attribuentes illas elocant. Portio enim Parochi non ſecus quam debitum ipſi competit, ut dos ſupputata pro munere, quod Eccleſiæ proſit, & miniſterio quod præſtat altari. Ita judicatum ex ſenatus conſulto in favorem Parochi adverſus decimarum conductorem cui jus proſequendæ petitionis reſervatum eſt contra Re-

Van Eſpen *Jur. Eccl. P. II.*

gulares decimarum poſſeſſores 15. Decembr. 1570.

XXIV. Et ſanè hæc portio in certa granorum aut pecuniæ quantitate aſſignata non ſolvitur cum reſpectu fructuum hoc illove anno emergentium; ſed datur in exſolutionem oneris impoſiti Capitulis aut Monaſteriis in ipſa unione vel incorporatione aut translatione Decimarum: adeo ut onus dandi congruam portionem, in cujus redemptionem hæc granorum aut pecuniæ quantitas annuatim ſolvenda promittitur, non ipſis decimis, quæ annuatim realiter percipiuntur, ſed juri decimandi, quod in Monaſterium aut Capitulum tranſlatum eſt, perpetuè inhæreat.

XXV. Et ſi ſubinde fructuum mentio fiat: è quibus deſignata granorum quantitas ſit ſolvenda, illa non taxationis, ſed demonſtrationis cauſa facta cenſetur, ut notat Joannes Tournet, *lit. P. cap. 121.* ut conſequenter illis fructibus non natis, ex aliis eadem granorum quantitas exſolvenda ſit & ſupplenda; quemadmodum in caſu non abſimili cibariorum & veſtiariorum legatorum reſpondit Scævola in L. 12. *ff. de alimentis legatis*; nimirum cibaria integra ab hæredibus ſolvenda eſſe, tametiſi ex fundis, quos Teſtator fideicommiſſi jure obligaverat, ut ex reditu eorum alimenta ſupra ſcripta perciperent, minores reditus provenerint, quàm eſt quantitas cibariorum & veſtiariorum.

XXVI. Simili ratione ſi quis mediante tranſactione jus ſolvendi Decimas certa quantitate pecuniæ annuè ſolvenda redemerit, hæc tranſactio, uti rectè notat Grimaudet *lib. 3. de Decimis cap. 3. num. 10.* eſt in utilitatem vel damnum poſſeſſoris fundi; eamque ſolvere tenetur, ſive agrum ſuum colat, ſive non; nec poteſt poſſeſſor fundi ſe à ſolutione eximere hac vulgari ratione, quod ceſſante cauſa Decimarum non teneatur ſolvere id quod vice decimarum promiſſum eſt quia mediante tali tranſactione, omnis caſus fortuitus & eviſionis ejus periculo ſunt, ni fundus chaſmate aliove caſu eſſet abſorptus & planè periſſet.

Reſert quoque Renatus Choppinus ex Panormitano, Teutonicos ſive Germanos pro Decimis ſolvere annuatim certas meſuras granorum, quæ nec minuuntur nec augentur ob quamcumque fertilitatem aut ſterilitatem ſupervenientem, *lib. 3. de Pol. Eccleſ. tit. 4. §. 4.*

XXVII. Quidni igitur Monaſteria & Capitula alique Decimarum Poſſeſſores, quæ mediante certa granorum vel pecuniæ quantitate jus decimandi quodammodo ſibi reſervant, & quali redimunt, caſum fortuitum ſuſtineant? præſertim cum & commodum fertilitatis accipiant; nihilque ob eam Parocho accedat.

XXVIII. Quamvis portio congrua conſiſtens in certa granorum aut pecuniæ quantitate annuè ſolvenda, non debeat in rigore juris ob ſterilitatem aut devaſtationem decimarum diminui aut remitti; tamen nonnumquam æquitas exigit, ut Parochus hinc aliquam remiſſionem faciat; præſertim ſi ei commodè & honeſtè ſit de congrua portione proviſum; nec ipſæ decimæ notabilem ſummam ultra portionem congruam ſoleant Decimatoribus pendere; ipſique honeſtam ſuſtentationem Parocho pro temporum miſeria offerant.

CAPUT VI.

Quæ in portionem congruam imputanda?

1. *Quandoam aliqua dicantur imputari in portionem congruam?*
2. *Quando Decimator imputare aliqua poſſit.*
3. *De imputatione in portionem congruam loquuntur Synodi Belgica.*
4. *Parochus petens portionem congruam debet exhibere declarationem omnium bonorum & proventuum quæ ratione ſua Eccleſiæ habet.*

A 2 2 2

§. Certa

5. Certa emolumentaratione Beneficii Parocho competentia in portionem congruam imputanda.
6. Decima etiam novales & minuta imputanda.
7. An he juxta Edictum Regis Gallie in portionem congruam imputentur.
8. Proventus Beneficii Ecclesie Parochiali uniti imputandi.
9. Onera illius Beneficii à Parocho ferenda; unde & moderatè emenda sunt beneficia.
10. Proventus Parocho competentes alio titulo quàm Beneficii Curati non sunt imputandi.
11. Aliquando proventus Beneficii non uniti sunt imputandi.
12. Ex Decretis Synodorum etiam accidentia in portionem congruam imputanda.
13. Synodi loquuntur de accidentibus quæ ad aliquam certam summam annuam reduci possunt.
14. Quæ ad eam certitudinem redigi nequeunt, imputanda non sunt.
15. Hujus generis sunt oblationes quæ à mera liberalitate populi dependent.
16. Has ob suam incertitudinem non imputari tradunt Canonistæ.
17. Speciali titulo inconveniens est, ut oblationes in Sacramentorum administratione fieri solitæ imputentur.
18. Ex hac imputatione sequeretur sordida illarum oblationum exactio.
19. Quin & suspectæ conventiones.
20. Diminueretur populi erga sacras functiones reverentia.
21. Sacerdotes facile notant avaritiæ & turpis questus incurrent.
22. Nascentur pauperum murmura contra Sacerdotes.
23. Injustum est hisce oblationibus populum gravari.
24. Portio congrua ita taxanda ut Sacerdotes gratis & liberali animo Sacramenta administrare queant.
25. Decretum de hac re Synodi Colonienſis anni 1636.
26. Idem Inſinuat Synodus Colonienſis anni 1549.
27. Idipsum postulatum ex parte Regis Gallie in Concilio Trid.
28. Sperandum non est, Sacramenta gratis ut oportet administranda, ubi oblationes imputantur.
29. Perniciosum est honoraria Missarum in portionem congruam imputari.
30. Curandum ut sine respectu ad has oblationes & honoraria portio congrua assignetur.
31. Decimis sufficientibus de his portio congrua desumenda.
32. Decimis non sufficientibus per beneficiorum unionem potius quàm per has oblationes providendum.
33. Accidentia non omnino incerta, quæ sint?
34. Hæc accidentia ad certam summam redigi possunt.
35. De his loquuntur Synodi, dum accidentia in portionem computari volunt.
36. Major ratio ut in civitatibus, quàm pagis hac in portionem computentur.
37. Videtur dumtaxat à Synodis ob temporum duritiem horum accidentium imputatio tolerari.
38. Non debent cum nimio rigore hæc accidentia in portionem congruam imputari.



Illa imputari dicuntur in portionem congruam, quorum in taxatione portionis congruæ ita ratio habetur, ut eorum intuitu portio congrua ad ratam illorum diminuat; puta, ut portio congrua esset sufficiens requirerentur annuè octingenti floreni; sed quia Vicarius seu Parochus habet suo beneficio Parochiali seu Vicariæ annexos proventus pendentes annuè 400. florenos, portio congrua taxabi-

tur ultra hos proventus ad 400. florenos solvendos ab iis qui oneri solvendæ portionis congruæ sunt subiecti; quæ summa unâ cum valore annuo illorum proventuum simul efficiunt integram portionem congruam sive competentiam 800. florenorum, duæ judicatur sufficiens Rectoris & Parochiæ necessitati.

II. Si contingat ab Episcopo taxari portionem congruam abstractim ab omni eo, quod ipse Vicarius habet in annuis proventibus qui in portionem congruam ex juris vel consuetudinis dispositione imputari consueverunt, tunc ipse Decimator ad cujus onus spectat solutio portionis congruæ, detaxata portione tantum diminet, quantum annuè valere æstimantur proventus Pastorales, quos Vicarius retinet; & quod his computatis sive imputatis portioni taxatæ deerit supplere debebit.

III. De hac computatione seu imputatione loquitur Synodus Mechlinienſis titulo *De Decanis & Pastoribus*, ubi mandat, ab Episcopis assignari portionem congruam computatis certis fructibus & emolumentis. De eadem imputatione simili modo loquitur Synodus P. II. Cameracensis tit. 14 cap. 9.

IV. Ut autem hæc computatio sive imputatio justè fiat, atque omnium quæ imputanda sunt æqua ratio haberi queat; & justa portionis taxatio fieri, mandat Synodus D. Mechlinienſis tit. 16 cap. 4. "Ut Pastor quilibet de Canonica portione summarè & de plano sibi pro, videri desiderans, ante omnia exhibeat nobis, Vicario, aut Officiali nostro, libellum supplicem, in quo contineatur, cuive annexa sit plena, eaque particularis, & proprio juramento firmata declaratio bonorum, quæ ratione Ecclesiæ suæ parochialis ipsi competunt. Neque certi tantum fructus & emolumenta exprimantur, sed incerta quoque & accidentalia trium aut quatuor communium annorum ultimo præteritorum.

Idipsum injungit Synodus Camerac. P. II. tit. 14 cap. 7, addens, & onerum annexorum, quæ deduci debent, declarationem adjungendam.

Duo sunt quorum rationem in taxanda portione habendam indicant hæc Synodi.

V. Primò, omnium certorum fructuum & emolumentorum, quæ ratione Ecclesiæ suæ Parochialis ipsi (Pastori) competunt.

Hæc imputanda esse nemo dubitat. Cum enim portio congrua detur, ut Pastori & Parochiæ necessitati sit provisum, consequens est, quod si certa emolumenta quæ ratione Ecclesiæ Parochialis percipiunt, pro parte congruæ sustentationi Vicarii satisfaciunt, tantum suppleatur id quod ad integram sustentationem Parochi, & Parochiæ necessitatem deesse deprehenditur.

Unde Rebuffus in suo tractatu de portione congrua num. 85, quaerens quæ debeant Vicario computari in congrua portione, respondet: "Omnia certa quæ habet ratione sui Beneficii seu Vicariæ; & sic omnia quæ jure suo habet Ecclesia, ei computantur pro portione congrua.

VI. Itaque si Vicario competant aliquæ decimæ, etiam novales vel minutæ, hæc indubiè in portionem congruam imputandæ sunt; hoc est, earum ratio haberi debebit, ut attento annuo valore illarum decimarum portio hæc major aut minor debeatur; sive plus minusve supplendum sit ab iis, quibus onus portionis congruæ incumbit.

VII. In Edicto Regis Gallie de anno 1686. quo portio congrua Vicariorum & pastorum taxatur ad 300. libras gallicas consistentes centum patacones moneræ Brabanticæ, excipiuntur decimæ novales ex terris, quæ post acceptatam à Vicariis & Pastoribus hanc portionem, ad culturam rediguntur; quas ultra portionem Vicarii & Pastores recipere poterunt.

Verum licet ob has decimas novales taxata hæc portio

tio diminui nequeat; sed integra à Decimatoribus majoribus seu grossis, ut vocant, solvi debeat, nihilominus admodum verisimile est, in determinanda hac portione habitum fuisse rectorum decimarum novalarum, quæ verisimiliter in Parochiis futuræ creduntur, atque ita re ipsa in congruam portionem esse imputatas.

VIII. Similiter si Beneficium simplex, aut aliqua fundatio auctoritate Episcopi unita sive incorporata sit Beneficio curato, indubiè proventus illius sunt computandi in portionem congruam; quandoquidem per unionem sive incorporationem proventus hujus uniti Beneficii vel fundationis sint facti proventus Beneficii Curati; idque eo maximè intuitu, ut per illius proventus Parocho de congrua portione esset provisum.

IX. Camque per similem incorporationem Beneficium incorporatum quodammodo supprimatur, & in Beneficium Curatum, cui incorporatum est, quasi transfundatur, hinc est, quod onera Beneficii simplicis, etiam in Beneficium Curatum transeant; & onera Beneficii Curati post incorporationem reputentur; ac pro parte Curatus ea onera tamquam sua propria subire tenetur.

Quare, ut superius monui, in unione sive incorporatione Beneficiorum aut fundationum attendendum, ne occasione hujusmodi incorporationum, tot onera Parocho imponantur, ut necessariis suis functionibus Pastoralibus ritè fungendis minime sufficiat. Ipse quoque iudex in determinanda portione, dum rationem proventuum Beneficiorum unitorum sive incorporationum habet, indubiè & onerum, ratione illorum Beneficiorum unitorum Parocho incumbentium, habeat necesse est.

X. Supra citata Synodus Mechlinienſis volens libello supplici in materia portionis congruæ annexi declarationem omnium bonorum expressè addit, quæ ratione Ecclesiæ suæ Parochialis ipsi competunt; innuens quod ea quæ aliunde habet, non sunt imputanda; quod & Rebuffus loco citato notavit.

Exemplum assignat ibidem Rebuffus num. 88. "Si nobilis ob facellum vel ædiculam in Ecclesia contentum dat pensionem Vicario, non debet computari in congrua portione; quia hoc non habet ratione sui Beneficii, sed capellæ fundatæ ibi. Addi & hoc posset, quod intentio hujus nobilis non sit, eam pensionem induci in competentiam Parochi aut Vicarii; sed eam ipsi tamquam sibi specialiter servienti dare sine respectu ad portionem congruam, quam ab aliis accipere debet.

XI. Si enim aliquid Beneficium citra unionem aut incorporationem Vicario conferatur ab Episcopo, ut proventus illius ipsi in portionem congruam ferviant; idque auctoritate clausulæ in Concilio Tridentino adjectæ: aut quæ commodiori ei videbitur ratione, indubiè hi proventus computandi erunt; quia quamvis non competant Vicario propriè ratione Ecclesiæ suæ Parochialis, sed alterius Beneficii, tamen quia ab Episcopo Beneficium collatum fuit, ut per proventus illius Vicario esset sufficienter provisum, videtur consequenter Beneficium ipsi competere tamquam Vicario & ratione Vicariæ, ob cujus insufficientiam Beneficium cum proventibus ipsi datum est.

XII. Præter certos fructus & certa emolumenta, vult insuper citata Synodus Mechlinienſis exhiberi cum libello supplice, quo petitur summarè portio Canonica assignari, incerta quoque accidentia trium aut quatuor communium annorum ultimo præteritorumque conformiter ad Synodos Provinciales Mechl. quæ volunt portionem congruam confici computatis non tantum certis fructibus & emolumentis, sed etiam, "incertis seu accidentalibus, quæ ad certam summam communibus tribus aut 4 annis ultimò præteritis redigi possunt,

Van Espon Jur. Eccl. P. II.

XIII. Supponit ergo Synodus accidentia in portionem congruam imputanda, esse talia, ut ad certam summam, inspectis communibus tribus aut quatuor annis ultimò præteritis redigi possint; ut hac reductione facta, non incerta, sed quodammodo certa emolumenta dici possint, & portio congrua super iis assignata censeri aliquo modo queat constituta in re certa.

XIV. Hinc facile est concludere, nullatenus ex mente harum Synodorum imputandas, oblationes sive accidentia illa quæ omnino sunt incerta, nec facile ad aliquam certitudinem redigi possunt.

XV. Hujus generis sunt oblationes ex mera plebis liberalitate pendulæ ac profusæ, quæ nec exigi possunt; sed ob ancipitem populi favorem, ministrorum gratiositatem, temporumque, ac mercaturæ prosperitatem se attemperantem, aliæque circumstantias semper admodum sunt incertæ; neque à Parochiis annotari solent, sed gratiosè prout offeruntur, accipi; ideoque nec facile ad certam summam, computatis retro aliquot annis, reduci possunt; cujus generis sunt, quæ passim in administratione Baptismi, Viatici, Extremæ Unctionis atque mulierum purificatione dari consueverunt; quæ nullo modo in competentiam imputari possunt.

XVI. Has oblationes tamquam planè incertas non esse computandas in portionem congruam communitet tradunt Canonistæ.

Quapropter Grimaudetius in tractatu *De Decimis lib. 2. cap. 8.* postquam num. 29 dixit, portionem congruam Vicario assignandam ex rebus certis, tamquam consequens subjungit num. 30 oblationes incertas, quæ ad certitudinem redigi nequeunt, imputandos non esse.

XVII. Præter incertitudinem, quæ in oblationibus in administratione Sacramentorum præsertim Baptismi, Eucharistiæ vel Viatici aut Extremæ Unctionis fieri solitis, occurrit, & eas incompetentiam imputari vetat, plura præterea sunt; quæ persuadent, hæc in hanc portionem non imputandas; neque earum in determinatione & taxatione portionis, eam rationem habendam, ut Vicarius seu Pastor aliive Sacerdotes Curam animarum sustentantes ex illis oblationibus sustentationem necessariam accipere cogantur; sive ut portio ipsa congrua harum oblationum intuitu ad tam modicam quantitatem taxetur, ut deficientibus hisce oblationibus, etiam honesta sustentatio Presbyteris illis sit defutura.

XVIII. Dum enim Sacerdotes ex oblationibus occasione Sacramentorum administrationis fieri solitis, honestam sustentationem habere coguntur, etiam quadam necessitate adiguntur, ut hæc oblationes, si non directè & explicitè, saltem indirectè & implicite exigant.

XIX. Eadem necessitate comparandi necessaria vitæ subsidia continget, ut ad fordidas & de Simonia, aut saltem turpi questu & avaritiæ multum suspectas conventiones & pactiones delabentur.

Quantopere autem omnes omnino pactiones & exactiones in administratione Sacramentorum Canones exhorreant, & uno consensu Synodi nostræ Belgicæ venterint supra titulo 1. cap. 3. annotavimus; ut vel ex illis Decretis appareat, à mente Synodorum planè alienum esse, ut similes oblationes in congruam portionem Pastorum imputentur.

XX. Ad hæc quis non videt, quantopere erga sacras functiones & Sacramenta diminuatur populi reverentia & de eorum dignitate Idæa, dum videt, quod illa Sacerdotum victui subservire debeant, videnturque ea respectu Sacerdotum esse adinstar artis de pane lucrando.

XXI. Præterea dum Sacerdotes ex illis victitate debent idque populus non ignorat, persuasum facile populo est, quod in administratione Sacramentorum, aliisve sacris functionibus semper aliquid offerre debeat; & quidem pro ea conditione, qua vulgo quisque reputatur,

Aaaa 2